

Enea Silvio Piccolomini

*Aeneae Silvii episcopi Senensis
Commentarius - Liber IV*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Enea Silvio Piccolomini

*Aeneae Silvii episcopi Senensis
Commentarius - Liber IV*

1456-04-22

In Dict. prooem.

[1] Hispania, terra optimis comparanda, non imperatores tantum ac reges Romae atque Italiae dare solita est, sed cardinales ac pontifices maximos, quorum vita emendatissima, doctrina admirabilis fuit. Nam pontificem Damasum, virtute probatum et omnium bonarum artium studio celeberrimum, Hispania ad nos misit. [2] Nunc ex eadem provincia Callistum tertium, quem pro vi nominis optimum existimamus, sortiti sumus. In sacro cardinalium collegio multos fuisse Hispanos summa commendatione dignos non est obscurum: Alfonsum Sancti Eustachii et Iohannem Sancti Petri cardinales ipsi Basileae in concilio vidimus, quorum ea morum gravitas, ea rerum agendarum circumspectio fuit, ut omnem ad se synodum traherent. Iohanni nos in secretariatu operam exhibuimus. [3] Hodie quoque tres Hispania cardinales: Iohannem Sancti Sixti, Antonium Ilerdensem et alterum Iohannem Sancti Angeli, qui modo legatus apud Hungaros de traducendis contra Turchos copiis agit. Prioribus quasi duobus theologiae sapientiae sideribus omnis Romana curia illustratur; tertium scientia iuris nulli secundum putatur. [4] Verum rex Alfonsus, ut ais, non ab Hispania laudem ducit, sed Hispaniam ipse illustrat, quoniam ita religiosus est et divini cultus observator, ut scribis, non immemor tamen apostolicae doctrinae, post ieiunia et orationes caeteraque pietatis opera, in quibus se aliquando exercet, servum sese inutilem ait. [5] Novissimis enim diebus cum convenisset eum Iohannes Solerius orator apostolicus ac de pace Tusciae secum ageret, inter alia sapienter dicta: «Scio me – inquit –, postquam regnare coepi, quam plurimos homines e modica fortuna

ad magnas opes ac potentiam evexisse, qui postea benefacti immemores extiterunt. Ea vero res mihi minime admirationi est, et cum ipse eodem ingratitude vitio laborem. Nam, quis plura ex optimo maximoque Deo quam ego beneficia accepit, qui, natus ex regibus, amplissima regna haereditario iure sum consecutus, nec minora mihi ipse armis comparavi? Pauci me reges inter Christianos antecedunt. [6] Ingenium mihi natura non obtusum dedit, memoriam non infirmam, corpus salubre, vitam longiorem ac morbis fere inoffensam, opes mihi, deliciae, voluptates abunde suppetunt; litterarum quoque nonnullam cognitionem adeptus sum. At ubi mea gratitudo? Quid ego aut facio aut feci pro tot tantisque divinae clementiae in me muneribus? Intelligo me certe ingratum esse, eaque dignum accusatione ac poena, qua caeteros dignos existimo, qui erga me ingrati sunt ac tanto maiori, quanto gravius est Deum quam hominem fallere. [7] Verum si mihi vita contigerit, est animus quod hactenus neglectum est abunde praestare. Iniurias enim quas crudelissima gens Turchorum Iesu Christo verissimo et maximo Deo nostro nunc in Graecia, nunc in Asia cotidie infert, ultum ire decrevimus, atque ad id iam naves, iam viros et arma comparavimus. Itaque nihil est cur nos, quae nunc tractatur, Tusciae pacem quovis pacto turbaturos existimes». [8] Haec rex: si promisso satisfecerit, salvatorem Christianae religioni ab Hispania missum omnis Europa confitebitur.

In Dict. 1

[1] Interfuimus hoc anno, dum haec fierent. Caecus in capite mensae assedit grandaevus, qui ante sedecim annos lumen se amisisse aiebat. Ministrabat huic rex Alfonsus, ac, nobis audientibus, interrogabat an

caecitatem moleste ferret. [2] Cui caecus, nesciens regem esse qui secum loqueretur: «Nisi divina gratia esset adiumento, nemo – inquit – caecus vivere optaret, tanta est caecitatis miseria, his praesertim, qui aliquando lumen viderunt». Tum rex: «Vellesne – inquit – ex hac vita migrare?». «Minime», inquit ille. Tum rex: «Si miser es, cur e miseria eripi nolis?». «Nescio – inquit caecus – an moriens ad maiorem miseriam hinc demigrem, nec quo vadam mihi certum est». [3] Tunc unus ex purpuratis: «An nescis – inquit – quia pie viventi loca tibi piorum patebunt?». «Scio – inquit caecus – tria esse loca, ad quae, dimissis corporibus, animae hominum deferuntur. Piorum animas coelum; malorum inferna petere; iis vero, qui cum ante mali fuissent, tamen ante obitum sese recognovere, et dolentes pro malefactis prius abierunt, quam poenitentiam agerent, purgatorium locum adeundum esse». [4] Tum purpuratus: «Si haec credis, et peccato abstines, cur mori nolis?». «Credo – inquit caecus – bene morienti mihi bene eventurum. Sed quis est hic, qui sese bene moriturum sciat?». Tum rex: «Sapit – inquit – caecus: ex media theologia sententiam profert». [5] Audivit caecus regem nominari, et quisnam rex esset, regem ipsum interrogavit. Tum rex: «Ego – inquit –, qui et loquor tecum».

In Dict. 2

[1] Allata erant Sigismundo caesari ex Hungaria aureorum quadraginta milia. Cum iam advesperasceret, eaque in thalamo regio recondita fuere cum cubatum esset. Caesar dum cogitat in quemnam usum eam pecuniam convertat, somnus eum destituit. Tum ille excitatis cubiculariis: «Ite – inquit – ocius consiliarios ducesque militum huc accersite». [2] Vocati procures

media nocte trepidi – timebant enim ne quid adversi accidisset – imperatorem celeriter adeunt et quae causa sit tam repentinae vocationis inquirunt. Imperator confestim, aperta archa, inter eos qui advenerant pecunia distributa. «Ite – inquit: iam secure tranquilleque nobis dormire licet. Nam quod mihi somnum ademerat, vobiscum exit».

In Dict. 3

[1] Quaesitum est inter nonnullos, me audiente, cum in omne hominum genus Alfonsus liberalem ac munificum sese ostenderet, cur solos astronomos praeteriret. Neque enim huius scientiae praeceptores sicut aliarum disciplinarum magistros in eius curia observari videmus. [2] Tunc unus qui magis scire videbatur: «Sidera – inquit – stultos regunt impelluntque, sapientes astris imperant. Stultos ergo principes honorare astrologos consequens est, non sapientes, inter quos nomen suum Alfonsus obtinet». [3] Tum alius: «Petrus de Monte Alcino – inquit –, non incelebratus astronomus, congregato apud Constantiam generali Christianorum concilio, iudicium de rebus futuris edidit, in quo et Sigismundum eo animo Romae coronandum et Iohannem papam tertium et vigesimum, qui id concilium vocatus erat, cum gloria rediturum asseruit. [4] At cum magna synodus Iohannem summo pontificatu abdicasset, Sigismundus autem ingressu Italiae multis post annis abstinuisset, arguentibus plerisque Petrum, qui adeo manifeste mentitus esset: “At mihi de duobus stultis – inquit ille – iudicandum fuit, de quibusne vera quidem profari Ptolemaeus potuisset”».

In Dict. 4

[1] Et hoc ad gloriam non mediocrem Alfonso cessit, quod Fridericus imperator Romae coronatus, ad eum visendum venerit. [2] Nam ille, cum in Germaniam redisset, interrogantibus amicis apud Italos, quae memoratu digna vidisset: «Alfonsum – inquit – omnium qui modo vivant regum et prudentissimum et magnificentissimum». [3] Cunque aliqui non probarent, quod maior dignitas ad minorem venisset: «Immo – ait ille – ad maiorem profectus sum. Nam etsi minor est regis auctoritas quam imperatoris, Alfonsus tamen Friderico maior est».

In Dict. 5

[1] Parum fuerit Italiae pacem dedisse, nisi et datam conservavit.

In Dict. 6

[1] Sthad Vienna oppidum est cum arce munitissima, per quod Australibus in Stiriam iter est. Huic praefuit unus ex veteribus amicis Hernesti, qui Friderici caesaris pater fuit. Adierunt Fridericum aliquot successive adolescentes, sibique praefecturam loci committi petiverunt, quod qui illam teneret aetate ac viribus confectus esset. Ad quos Fridericus: «Paternum – inquit – amicum oppido, non amico oppidum commendavimus». [2] Testamentum cum conderet dux quidam Slesiae, egregiam domum aedificari mandavit, in qua canes, qui utiles venationi fuissent, ob senectam vel corporis debilitatem a suis relictis dominis, usque ad mortem alerentur, designatis in eam rem nonnullis agris, ex quorum proventu sumptus suppeditarentur, nec voluntas eius irrita fuit».

In Dict. 7

[1] Iacobus marchio Badensis, ubi latrocinium in ditione sua commissum didicit, vocatis iis, qui damno affecti fuissent, tantum eos ex fisco suo accipere iussit, quanti esse quae amisissent iureiurando affirmassent. Exinde latrones insecutus, comprehensos in rotam sustulit, id est supplicii genus apud Theutonicos formidabile. [2] Atque ita brevi pacatissimam provinciam reddidit. Patris vestigia et Karolus nobilissimus adolescens sequitur, cui nupta est Anna, soror Friderici caesaris.

In Dict. 8

[1] Dux quidam Oppaviae uxori, quam ex Lituania acceperat, obviam cum exisset, in comitatu illius adolescentem offendit forma egregium, robusto corpore, in plumis iacentem pensili curru advectum. Interrogavit quisnam esset, coniugis suae fratrem aut propinquum existimans. [2] Responsum est ab iis, qui propius aderant, apud Lituanos, more patrio, nuptas, quae nobiles quidem essent, unum pluresve concubinos, pro viri facultatibus, domi alere consuevisse, qui negligente marito onera matrimonii subeat. Illumque sibi adductum esse, qui vices suas suppleat, si quando, ut fit, vel morbo vel alia quavis causa coniugi debitum persolvere nequiret. [3] Voluit dux laniandum canibus hominem obiicere, sed, prohibitus ab amicis, in Lituaniam quam celerrime eum redire iussit, qua in provincia, ut aiunt, perpaucae nuptae a viris digrediuntur.

In Dict. 9

[1] «Satis vicit – inquit Sigismundus imperator – qui hostes fugavit».

In Dict. 10

[1] Cum rogaretur Sigismundus imperator quem virum regno dignum aptumque existimaret: «Eum – inquit – quem neque secundae res extollerent, neque adversae deprimerent».

In Dict. 11

[1] Cum gloriabundus quidam eques coram Sigismundo urbanos magistratus parvifaceret, tribunosque militum laudibus in coelum tolleret: «Tace – inquit – Thraso: nulla nobis militia opus esset, si suas quique civitates praetores caeterique magistratus moderate iusteque gubernarent».

1

In Dict. 12

[1] Senenses fortasse ramusculum ignari in regis oculum dimisere. Utinam nil aliud rex doleat quam Senensis populi dolorem ac metum! Verum, Iohannes Hyxaritanus cum dietim novis contumeliis civitatem nostram afficiat, accusare tamen eam apud regem non cessat. [2] Verum est quod Satyricus ille ait:

[...] Libertas pauperis haec est:
pulsatus rogat et pugnīs concisus adorat,
ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.

2

In Dict. 13

IV 11, 1. Thraso: Cfr. Ter. *Eun.*

IV 12, 2. Libertas - reverti: Iuv. III 299-301

[1] Litterae Gasparis Schlichii ex Norinberga missae, cum in manus Friderici caesaris venissent, quae nonnullis Hungaris inscribebantur, fuerunt qui eas aperiendas dicerent, quia in his aliquid proditiōis scriptum putarent, quod sciri oporteret. Quibus Fridericus: «Gasparem ego et probum virum et mei amantem existimo. Si fallor, malo per sese error pateat, quam mea diligentia investigetur.»

In Dict. 14

[1] Non mirum, si non putavit Alfonsus in regnis suis suo tempore septem sapientes inveniri posse, cum ex omni Graecia et Asia totoque pene orbe terrarum omnibus aetatibus vix totidem annotati sint.

In Dict. 15

[1] In scholam Pragensem ingressus aliquando Karolus quartus Romanorum imperator, cum disputantes liberalium artium magistros in horas quattuor audisset, idque purpurati moleste ferrent ac coenae tempus adesse dicerent, «Mihi – inquit – tempus, vobis minime. Nam coena mea haec est».

In Dict. 16

[1] Cum beatos quispiam faeneratores coram Sigismundo diceret, qui dormientes rem augerent: «Et tu ergo miser – inquit Sigismundus –, qui rem vigilando comminuis».

In Dict. 17

[1] Si desint Thrasones, invanum Gnathones clamitant.

3

In Dict. 18

[1] Legerat illud Alfonsus, ut arbitror, quod non ignotus poeta cecinit:

Dii maiorum umbris tenuem et sine pondere terram
spirantesque crocos et in urna perpetuum ver,
qui praeceptorem sancti voluere parentis
esse loco.

[2] Atque idcirco suo manu magistro vel poma, vel confectiones zuccareas ministravit.

4

In Dict. 19

[1] Georgius Fistellus, cum esset doctor, a Sigismundo caesare equestris militiae insignia suscepit. Exin cum Basiliensem synodum adisset, consultante de rebus arduis Sigismundo, ac doctoribus legum unum in locum, equitibus vero in alium ire iussis, dubitavit Georgius his an illis se adiungeret, cumque ad equites se inclinaret,
[2] «Stulte agis – inquit Sigismundus –, qui litteris militiam praefers. Nam ego milites mille una die fecerim, doctorem mille annis unum non fecerim».

In Dict. 20

[1] Vitoldus, Lituaniae dux, plebem legi, legem principi subiectam esse oportere dicebat. Adeoque differentem moribus et habitu a suis popularibus sese praebuit, ut illos tonderi edicto iusserit, sibi tanquam maiestatis insigne

IV 17, 1. Thrasones - Gnathones: cfr. Ter. *Eun.* 397-405

IV 18, 1. Dii - loco: Iuv. VII 207-210

barbam intonsam retinens. [2] At cum id non succederet – nam Lituani vitam potius quam barbam parati erant amittere –, caput ipse genasque rasis, capitalem poenam in eos comminatus, qui suo exemplo barbam aut comam deponerent.

In Dict. 21

[1] Essent plerunque principes quam privati homines, ut Isocrates iubet, meliores, si reges electio, non successio faceret.

In Dict. 22

[1] Cum quaereret aliquis ex Thoma Sarzanensi, qui postea maximum pontificatum adeptus Nicolaus quintus appellatus est, qualis esset Eugenius papa quartus: «At – inquit – hoc facile cognitum est: qualis familia est, talem et principem invenias».

In Dict. 23

[1] Australes quoque, qui, accersitis Bohemis, in Nova Civitate Fridericum caesarem ex Italia redeuntem obsederunt, eo demum redacti sunt, ut victores ex victo pacem peterent, atque in eam rem auri sex milia nummum quotannis penderent.

In Dict. 24

[1] Sub imperio feminae cum esset Austria – defecerat enim virilis proles –, hinc Hungarus, inde Bavarius provinciam praedabatur: feminae, quae contempneretur, suadebant amici alterum ex hostibus virum acciperet, qui alterius contumeliam propulsaret. [2] Quibus illa: «Minime inimico nubam. Ottokarum ex Bohemia potius accersam, qui meo coniugio ditatus et Bavario et

Hungaro vicem reddat. Neque enim natura fert, ut qui nobis nocent, his beneficiamus».

In Dict. 25-26

[1] Sigismundus imperator cum esset in Italia audissetque patres Basileae coactos Eugenium papam summo pontificatu deponere statuisse, quamvis podagra laboraret, itineri se commisit tantaque celeritate advectus est, ut ante in concilio sit visus, quam eo venturus audiretur. [2] Neque enim bono principi tolerabile videbatur Ecclesiam, quam se auctore ad consensionem et pacem Constantiensis synodus reduxisset, Basiliensis denuo rescinderet.

In Dict. 27

[1] Consolatoriae super morte fratris ad te missae litterae magnum in te regis amorem testantur. Sed quem ille amet, si te non amet, qui eum vel post facta victurum facis.

In Dict. 28

[1] Interrogatus aliquando Fridericus imperator quid homini optimum possit contingere, respondit: «Bonus ex hac vita exitus».

In Dict. 29

[1] Qui iocos moderate ferrent, sapientes dicere Sigismundus solitus erat, qui promptissime iocarentur ingeniosos.

In Dict. 30

[1] Anno superiore Graecus ad Albertum Austriae ducem venit, qui se Constantini caesaris a Turchis

occisi Germanum diceret, quem cum exploratorem ille comperisset, quaecunque in Germania pararentur ad Turchos perferentem gladio percuti iussit.

In Dict. 31

[1] Karolus quartus Romanorum imperator hominem, qui sibi necem parasset, ad se vocavit, eique aureos mille dono dedit, quibus nubilem filiam nuptui collocaret, illius se vicem misereri dicens, quae natu grandior domi clausa esset. [2] Homo gratias egit regi, et ad conspiratores egressus: «Nesciebam – inquit – Karolus qualis esset: nunc liberalem et misericordem principem ferire nullo pacto possem».

In Dict. 32

[1] Venatio, inquit Albertus imperator, Ladislai pater, exercitatio virilis, saltatio muliebris, seque voluptate quavis alia carere posse, venatione non posse.

In Dict. 33

[1] Si quem sua sorte contentum esse decet, non est cur Alfonsus de fortunae distributione queratur, qui trium Deorum imperia obtinet: Plutonis Hispaniae regna, Neptuni Siciliam et alias insulas, Iovis Italiam, quamvis sua virtus totius orbis imperium meruit.

In Dict. 34

[1] Studiosum esse Alfonsum librisque deditum nemo dubitat, qui cum eo versetur, neque enim sermo qui non doctrinam redoleat. Nuper rogabamus eum ne Tusciam bello perire sineret, qui se pacis regem inscriberet. [2] Tum ille: «Cassandram – inquit – divinandi arte et cognitione futuri donaverat Apollo. Id factum in

concilio deorum damnatum est, qui futura providere mortalibus inhibitu assererent. At cum revocare divinum donum nefas ducerent, statutum est ne quis Cassandrae prophetanti fidem haberet. Eodem modo, quamvis pacificum me regem appellem, mihi credit nemo».

In Dict. 35

[1] Inter eos, qui mendacissimi sunt, adde, si placet, et qui militassent multum. [2] Iohannes Amburgensis, non incelebratus medicus, iubente aliquando Sigismundo imperatore secedere paululum omnes qui Comanum nescirent – nam, cum Comanis ei res erat, qui sunt Hungariae populi –, non paruit imperio, interrogantique caesari cur non exisset: [3] «Quia solos – inquit – abire iussisti, qui Comanum ignorarent, quae iussio haudquaquam me comprehendit. Nam mentiri ac furari, quod est Comanorum proprium, nemo aequae atque ego calleo».

In Dict. 36

[1] Dena quoque divinae legis mandata sub magna nobis mercede commendata sunt: ac si unum fregeris, cuncta fregeris.

In Dict. 37

[1] Svatocopus, qui apud Moravos ultimus regnavit, cum se absente regiam conflagrasse didicisset, interrogavit nuncium an cella vinaria salva esset, eoque respondente, absumptis caeteris, illam intactam igni superfuisse: «Et nos igitur – inquit –, salvi ac laeti sumus».

In Dict. 38

[1] «Quemadmodum superi amari et timeri volunt, ita et reges – ait Sigismundus – neque enim bene ames, nisi timeas».

In Dict. 39

[1] Vellem Alfonsi arte atque diligentia non solum cives, sed milites quoque ingenio malo pravoque bonos et emendatos reddi. Sed militia, ut mihi videtur, sentina vitiorum est, quae nulla virtutis medicamenta susceperit.

In Dict. 40

[1] Alfonsum vero cum omnibus ingenio, doctrina, virtute, arte, sapientia non solum contendisse sed eos etiam vicisse dixerim, natus, ut mihi videtur, ad omnia quaecunque aggredi statuat.

In Dict. 41

[1] In terra Austria cum obiisset unus ex primoribus annos natus tres et nonaginta, qui vitam inter voluptates illecebrasque nulla unquam valetudine offensam duxisset, ignotaque illi omnis calamitas, omnis moestitia fuisset, idque Friderico caesari narraretur: «Et hinc – inquit ille – immortales animas censere licet. Nanque, si Deus est, qui hunc mundum gubernat, ut philosophi et theologi docent, eumque iustum esse nemo negat, profecto alia loca sunt ad quae post mortem animi migrant, ibique pro factis aut mercedem aut poenam accipiunt. Nam hic neque bonis sua praemia, neque malis sua supplicia reddi videmus».

In Dict. 42

[1] Gallus medicus litem cui patrocinator, iniquam facit. Quod Picininus suscipit iniustum atque impium.

In Dict. 43

[1] Iohannes de Monte Dammarum, natione Suevus: «Sit mihi – inquit – alicuius actus optio detur, in quo perpetuo degam, opulentum quempiam mercatorem, ut apud Florentinos esse aliquos aiunt, fugientem, admota tergo lancea, quasi iamiam capiam, insequi velim». [2] Sic enim sequitur sua quemque voluptas, ut ait poetarum Latinorum maximus. At dulce otium et privatae vitae quies interdicta principibus, neque Diocletiano, ad hortos redacto, aspiravit fortuna.

5

In Dict. 44

[1] Interrogatus Fridericus imperator, quinam sibi carissimi essent: «Qui me – inquit – non magis quam Deum timent».

In Dict. 45

[1] Iurasse Fridericum nunquam comperi, nisi cum in civitate Aquensi apud Belgas et cum Romae coronatus est, idque iuramentum constantissime tenuit. Cum enim iureiurando promississet quae bona possideret imperium nullatenus alienaturum, et modo hoc, modo illud ex eo peteretur, maluit avarus negando, quam concedendo periurus videri. [2] Eamque ob causam petenti Borsio marchioni Estensi ducatum Mutinae tam diu restitit, donec monstratum est eum ducatum, qui sub annuo tributo concederetur, lucri magis quam alienationis speciem habere, praesertim cum Mutina ac Regium in potestate sua non essent, quam rem nos ei potissimum suasimus.

IV 43, 2. sua - voluptas: Verg. *Ecl.* II 65

In Dict. 46

[1] Auri nummum centum milia civis quidam Pragensis, recepto cyrographo, Karolo quarto imperatori mutuo dedit, eumque postridie ad prandium invitavit: convocatis aliquot regulis, convivum more Bohemiae splendidissimum apparavit. [2] Cum vero pomis et caseo, ut illi consueverunt, locus esset, neque enim zuccareis confectionibus utuntur, cyrographum in catino aureo iussit adferri, admirantibus conviviis, et quid sibi hoc vellet quaerentibus: [3] «Caetera – inquit – fercula, caesar, communia tibi cum hisce optimatibus fuere; hoc tui solius erit. Nam aurum quod mutuavi nudiustertius tibi dono omneque debitum remitto».

In Dict. 47

[1] Ignis, quem sacrum vocant, digitum pedis Sigismundi caesaris exurebat, et ne ulterius serperet timebatur. [2] Medici abscindendum digitum suasere: paruit imperator et quasi alius incideretur, ita immotus chirurgici ferrum inspectavit et pertulit.

In Dict. 48

[1] Bohemi, apud quos multa plana, raras fossas invenias, equitatum peditatumque omnem intra currus claudunt: in curribus, vero, quasi moenibus, armatos collocant, qui missilibus hostem arceant. [2] Cum proelium committitur, ex curribus quasi duo cornua efficiunt, eaque pro multitudine pugnatorum et loci necessitate explicant: retroque et a lateribus tecti, in fronte pugnant, interea paulatim aurigae procedunt, hostiumque acies circumvenire atque includere conantur. Quo facto haud dubie victoriam parant, cum hostes undique feriantur.

[3] Est quoque plaustorum compago ea arte composita, ut ad imperatoris iussum, qua velit et quando velit, aperiatur, sive ad fugam, sive ad insequendos hostes ratio postulaverit.

In Dict. 49

[1] Quamvis amici culpa solutum se foedere Alfonsus dicere posset, memor tamen suae constantiae et accepti beneficii ratas esse pactiones voluit, quae exciderant. [2] Idem et nunc erga se facturum regem Senenses sperant: etsi, enim, non ea Senensium est, quae Philippi fuit, erga regem beneficentia, est tamen regis erga Senenses illa, quae fuit in Philippum, constantia. [3] Praeterea si foedus quoquomodo a Senensibus violatum reperitur, quod minime credimus, haud quaquam malitia ulla, sed ignorantia fortasse eius rei causa fuerit.

In Dict. 50

[1] Qualis fuerit Alfonsus iuvenis, ipsa nunc aetas maior ostendit, quem saepe veloci insidentem equo persequi feras, ac nunc apros, nunc cervos iaculari vidimus suaque manu sternere. [2] Quae opera in tanto rege strenuitatis magis quam prudentiae censemus. Nam vitam, in qua tot populorum vita consistit, sine magna causa periculis obiectari nolim.

In Dict. 51

[1] Oratio magnanimo rege atque ipso Alfonso digna: digitus hic Dei est, neque enim haec verba, hos sensus, hanc denique mentem, nisi sanctus spiritus ministravit. Exiit haec oratio, exiit et ad nos usque in Germaniam delata est. Non potest dictum indictum esse. [2] Belle rex tria in se magni Dei beneficia commemorat: qui

non belua, sed homo rationis capax ab Eo sit creatus; nec qualiscunque homo, sed Christianus homo; nec qualiscunque Christianus, sed Christianus et rex. [3] Addere illud modestia vetuit, quod non qualiscunque rex a Deo creatus est, sed regum quos habet Europa et potentissimus et sapientissimus, quodque nostro saeculo inauditum est: rex et philosophus. [4] Verum, quoniam honestum et laudabile est haec promisisse, si perficiantur, ita et turpe et vituperabile fuerit, si negligantur. [5] Ad tantam vero rem exequendam necessaria est Etruriae pax, quae, cum perturbata sit, totam Italiam suspensam tenet. Huius pacandae potestas atque arbitrium penes Alfonsum esse nemo dubitat. [6] Suade igitur, Antoni, suadete omnes, quibus apertae regis aures, ut, relicto Picinino, pacem Tusciae restituat. [7] Sic enim, assumptis in Turchos armis, Christianum nomen, ut est ab eo vulgatum, et tueri et amplificare poterit.

In Triumphum

[1] Cum redierit Alfonsus, subactis Turchis, liberata Grecia, et spolia illa cruenta nefandique Mahumeti caput retulerit, o qualem ei curram apparabit Italia, quales gratias aget Ecclesia, quae festa omnis Christiana societas agitat! [2] Convenient Romam Septentrionis et Occidentis reges, redeuntemque magnum imperatorem Christianae reipublicae servatorem salutabunt. Cardinales cunctique praesules ecclesiarum et magistratus urbis, longo extra moenia intervallo sacra ferentes, obviam ibunt. [3] Nivei stabunt ad frena Quirites, sternetur purpura et ostro quaecunque ab eo terra calcanda fuerit. Matronae nobiles virginesque, rosas et lilia, eiectis in eum

manibus, spargent, et variorum sarta florum sacro capiti annectent. [4] Ipse curru sublimis aureos in plebem nummos iaciet, quocunque in foro, quocunque in trivio substiterit, novas ludorum facies offendet, acclamabitque omnis populus victori vitam et gloriam. [5] Atque ita triumphans non in Capitolium falsique Iovi aedem, sed in apostolorum principis beati Petri basilicam deducetur; ibique maximum sacerdotem Callistum tertium, verum Christi vicarium et regni aeterni claves tenentem, inveniens, largam ab eo benedictionem accipiet et, amplexus atque deosculatus grandaevum patrem, secum in penitiorem palatii partem secedet, ubi et de recenti victoria et de rebus Hispanicis longos inter se sermones habebunt. [6] Tunc tua, Antoni, musa, quasi ab inferis resurget, et tu quidem poemata compones, Bartholomaeus Factius historias scribet, mortalemque regem immortalitate donabit. [7] Nos quoque, si quid strepere inter olores corvis licet, aliquid seorsum inveniemus, quod de tanto rege ad posteros referamus.